



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Magistris. Consilium DLXXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

munus specialiter annexum est; ut olim Theologica præbendæ, d. c. penult. & nunc etiam pauperum ijs, qui Scholastici appellantur. Cujus exceptionis potestas hæc est, ut extra exceptum casum hæc docendi necessitas non extendatur ad alios, *DD. in l. 1. De regul. iur.* Et quoniam hoc Seminarium juvenum & adolescentum tantum est, eorumque disciplina angustissimis finibus concluditur; inter Grammaticam scilicet, & principia sacra Scripturæ; evidens argumentum est, in iure Canonico promotos ad hujusmodi professionem seu docendi munus non vocari; nec in Theologia promotos, ut Theologicam professionem faciant: cum hujus profitendæ potestas nulli permittatur, nisi in loco studij generalis; idque adhuc non nisi ex speciali indulto Apostolico. * Quinimod ubi & consulendi & consilij exhibendi, acque etiam exequendi aliqua est necessitas (ut diximus evenire in tutoribus, & curatoribus quoad pupillos & adultos) docendi tamen & erudiendi necessitas non est; sed potestas relegandi ad præceptores seu ludimagistros, *l. Officio, l. Qui filium ubi pupill. educ. deb. l. Cum plures §. cum tutor de administr. tutor. l. ult. C. de alim. pupillo præstat.* Consilij itaque exhibendi necessitas, quæ dicti novem graduati obstringuntur, non in docendi labore, sed in administratione & circa directionem negotiorum Episcopatus versatur.

De Magistris.

S V M M A R I V M .

Honorarium præceptoris.

1. 4. Procurator adversarij an in testem produci possit.
2. Salarium secundum solium morem solvendum.
3. Operas suas pro certo tempore locans totius temporis mercedem habere debet, si per eum non fiet, quo minus peragatur.

CONSILIUM DLXXII.

ILLIBERALIS est oppositio, quam Generosus D. Paulus Carondelet hujus causæ Reus facit, adversus petitionem M. Leonardi Vossij Actoris. Constat etenim quod Actor filium Rei toto integro fere anno docuerit, instruxerit, & rexit ex testimonio Regentis, cui in hac re credi debet, accedente præsertim juris præsumptione, quod quilibet præsumatur officium suum facere, uti oportet, *And. Alat. de præsumpt. reg. 3. c. 9. & 13.* Neque hanc oppositionem probabilem facit negatio conventionis de solvendis duodecim coronatis pro annuo labore, adjuncta obligatione præstandi quantum in alijs Pædagogis pro privatis ac subsecivis lectionibus solet Magistris dari: nam negationem convincit probatio Actoris. Satis enim ad instruendam religionem Domini Iudicis probatum videtur per Regentem, & M. Theodoricum P. hæc conventio, ex qua Actor agit; sic saltem, ut accedente suppletorio juramento Actoris, de plena probatione dubitandum non sit, pleniusque adhuc constare poterit, si ex officio Procurator Rei super eo interrogabitur. * Quamvis enim procurator non possit in testem produci ab eo, cujus est procurator, propter affectionem, quam ad causam habet, *ult. De testib. Barr. in l. deferre §. idem de ceterum de iure fisci*: tamen contra eundem suum constituentem potest; quia cessat prædicta ratio respectu ejus, qui eam contem-

Conf. Wamf. Tom. II.

ptæ testimonio procuratoris partis adversæ uti vult, *Barr. loco sup. cit. Felin. in c. Cum a nobis De testib. latè Paul. Paris. conf. 70. pro resolutione vol. 4.* Non obstante interlocutione, per quam declaratum est, dictum procuratorem ut testem in hac causa audiendum non esse: continet enim juris errorem, & quoad Iudicem in rem judicatam non transit, sed revocari potest, *l. Quod iussit De re iudic. saltem sic, ut ex officio Iudicis, non ex productione partis adhuc audiat.*

Oblatio Rei improbabilis est: nam ubi certa conventio extat, ad solitum consuetumque, seu ad similitudinis rationem, vel inquisitionem decurrendum non est. Ita enim salarium, vel arbitrio Iudicis, vel pro more consuetudo decernitur his, qui officium suum vel in docendo, vel magistratum exercendo exhibent; cum nulla extat specialis ea de re conventio, *Gloss. & Baldus in l. Exceptio C. Locati.* Neque sanè similitudinis ratio ad eam normam, quæ in dicta sua obligatione præscribitur Reus hic servari potest: dicit enim & proponit Reus in prædicta obligatione similitudinem à salario, quod Magistri aliorum Pædagogorum habent ratione privatarum lectionum, & curæ discipulorum; quæ cura cum in Actore fuerit peculiaris & maxima, non tantum in docendo & observando perurum; sed in eum quoque deducendo, ac necessaria illius procurando; sit, ut in dissimilitudine terminorum similitudinis potestas constitui vel retineri non possit: separatorum enim & dissimilium non una sed diversa est ratio, *l. Si maritus 1. C. de donat. inter vir. & uxor.*

Solidæ autem petitioni Actoris non obstat illud, quod Reus, dum negationi suæ insistere non audeat, in fine causæ objicit, quod Actor toto anno filio suo operam suam non exhibuerit, sed ad complementum integri anni, mensis unus & tredecim dies defuerint. Nam cum constet, prædictam conventionem non per menses & dies, sed pro anno, seu annuâ operâ factam esse, unica censeri debet stipulatio & promissio, unicamque præstationem, non per tempora divisam continere, quæ integra præstanda est: quia non per Actorem, sed per Reum seu ejus filium stetit, quod minus tantillo tempore, quod ad consummatum annum deerat, operam suam compleverit. Est autem generaliter verum in locatione operarum, quod qui operas suas locavit, totius temporis mercedem accipere debeat, si per eum non steterit, cur minus operas præstaret, *l. Qui operas Locati. Quod ipsi ad Advocatos, d. l. Qui operas, Magistros, aliosque quibus salaria extra ordinem debentur, extensum est, Barr. in l. 1. §. divus de varijs & extraord. cog. Gloss. l. Si uno §. item cum quidam Locati, latè Decius consil. 70. pro tenui.* Atque ita cum Reus filium Actoris ante finitum annum subtraxerit, defectus implementi ex parte conducentis, non locantis operas, est; quod efficit, ut Actor implevisse censeatur, *l. Iure civili de condit. & demonstrat.*

Novissimè nec illud Actori obstat potest, quod hæc conventio serius sit facta, maximâ parte anni (uti Reus allegat) exactâ; quodque conventionem intellexerit pro futuro anno à die conventionis & quod ita hæc conventio pro futuro tempore facta, non debeat trahi ad præteritum, *l. Si à colono, l. Cum stipulati*

stipulati De verb. oblig. nam captio in hac re est, 4 neque etiam probatur. Cur enim cum Actor sub spe & incerta pollicitatione salarij operam suscepit & exhibuit, sequutâ certi salarij conventionis ac definitione, inde non peret; cum constet gratis eum operam exhibere noluisse? * Et concessio, quod capitis syllabis ac verbis, subtili juris ratione ex hac conventionione salarium antecedentis temporis peti non posset; peti tamen poterit, explorato iudicis officio, l. 1. §. ludi De varijs & extraordin. cognit. qui illud decernendo, & salarij quantitatem arbitrandò nihil commodius certiusque quod sequatur habeat, quàm sequentem conventionem; ut pro illius modo, præcedentis quoque temporis salarij quantitatem definiat. Præterita enim ex sequentibus definiri, neque absurdum neque infrequens est, l. Qui non militabat §. 1. & ibi DD. de hered. inst. ita ut nihil referat, an pro antecedente tempore de aliquo certo salario convenit, an non convenit. Debet namque discipulus magistro suo gratiam non verbis tantum, sed etiam rebus ipsis: qualem Aquilius juvenis Nicoftrato præceptoris suo retulisse legitur, l. Aquilius De donat. adnot. Parerg. lib. 2. c. 49. deo quoque receptum est, posse Doctorem pecuniam à discipulis exigere, si ve aliunde non habeat, si ve sibi sufficiat, quo possit se ac familiam suam exhibere; Gloss. in c. de quibusdam dist. 37. And. Alciat. lib. 9. parerg. c. 19. & malè audivit Ambrosius Diaconus documentis Originis imbutus, quod cum vir esset dives & nobilis, præceptoris sui egentis moriens non fuerit recordatus, D. Hieronym. in lib. de scriptorib. Eccles. To. Orficus in tit. D. De origine juris an sue. Quare existimamus D. Iudicis officium esse, ut Reum secundum conclusionem Actoris per omnia condemnet.

De Magistris.

S V M M A R I V M.

Salarium Professorum.

1. Salaria professorum heredibus debentur pro anno per defectum nondum completo.
2. Merces ante promeritum non debetur operario & soluta repetitur.
3. Salarium professorum ante tempus solutum non repetitur.
4. Salarium professori debetur ex die inchoata professionis.

CONSILIUM DLXXIII.

His verbis proponitur quaestio: Vtrum Professore cujusdam Academiae, aut alio stipendiario moriente in medio aut inchoato termino, stipendium vel honorarium totius anni, terminive transmittatur ad heredes, vel ipsi hereditibus de jure sufficere non debeant illud ad diem mortis usque solvi? Secundò, quid hoc casu erga Professorem & Officialium heredes statutum vel usitatum sit Lovani? Ad utramque quaestionem paucis respondendo dicimus, priorem præjudicio communis opinionis omnium ferè Interpretum & Doctorum Juris, velut certam nunc ex juris ratione habere definitionem. * Vix enim aliquis est, qui hunc juris articulum attingendo, non sequatur Accursij, & Bartoli sententiam, in l. 1. §. divus De var. & extraordin. cognit. qui existimaverunt, Doctorem seu Professore cujuscumque artis liberalis in oriente in quacumque parte anni, non tantum non peti ab

eius heredibus, quod fortè stipendij seu honorarij nomine prærogatum aut repræsentatum est pro futuro tempore, quo non supervixit; sed etiam totius residui temporis, quod exacto anno deest, stipendium persolvendum esse: ita ut absurdè nunc sentire videretur, si quis aliud asserere vellet, maxime cum multi affirmant ita de facto passim observari & praticari, lason in l. diem functio nu. 4. & Jacobinus de S. Georgio ibid. nu. 17. De offic. assess. eamque sententiam relata esse inter illas, quæ communis opinionis patrocinio nituntur, Sebast. Sapia in d. l. diem functio, Ioan. Anania ad rubric. De magistris, & ex his, qui post Bartolum hunc articulum tractaverunt, nemo sit, qui vel conatus sit contrarium asserere, Alibi lason Decius, To. Bapt. de S. Severino, Lico de Nigro, Hieron. Cognolus ad d. l. diem functio, Salvet. ad l. post duos. nu. 4. c. De advoc. divers. iudic. vel ea in parte sequi audeat opinionem Jacobi de Ravennate vel Nicolai de Neapoli; qui indignitate eorum, qui mercenariam potius (ut fabri) quàm liberalem operam profitendo, artes liberales exhibent, pretiumque inde velut laboris potius, quàm dignitatis & scientiæ paciscuntur, commoti, ausi fuerunt asserere, in l. uti. c. De domest. & prolect. lib. 12. heredibus illorum non deberi salarium seu stipendium futuri alicujus temporis; sed illius percipiendi occasionem in futurum morte Professoris abrupti. Nec caret hæc communis omnium ferè assertio evidente ratione. * Etsi enim illiberales operæ (ut sunt fabriles, & obsequiales) eo loco sint, ut soluta ob eas merces repeti, multò magis promissa non solvi possit, l. Si uno §. item cum quidam Locati in liberalibus tamen operis, ut sunt professiones artium liberalium, functiones magistratuum, advocacionis exhibitio, & alia similes, pro quibus vel annua stipendia, vel salaria seu honoraria præstantur, receptum est, ut prærogata non repetantur, & nondum soluta etiam peti possint per heredes eorum, qui in functione vel professione inchoatâ pro aliqua parte anni moriuntur, d. l. ult. d. l. diem functio, l. Si quis l. ult. c. De argenti in reb. 12. d. l. Post duos: quasi hujusmodi salaria sint solatia heredum ob benemerita defunctorum, laco. Cuiacius ad d. l. ult. quibus imputari non potest, quod per hunc fortuitum casum præmatura mortis totius anni laborem exhibere non potuerint. Tum etiam quod salarij seu stipendij annui per tempora, hoc est per menses, semestria, aut trimestria non divisi obligatio sit una, ut una etiam est obligatio præstandæ operæ per annum; ideoque salarium quoad transmissionem saltem merito sit indivisibile, lason in d. l. diem functio nu. 40. & ibi Jacobus de S. Georgio nu. 17. * Ex qua ratione ipsi quoque Professori, aliique in functione aliqua, quibus stipendium debetur, versantibus adhuc superstitibus debetur salarium futuri temporis, etiam si professionis seu functionis operam & molestiam non subierint, si aliquo fatali vel fortuito casu, qui ad eorum culpam referri non possit, impediti fuerint: ut docendo & consulendo eleganter deducit Philipp. Decius, in d. l. diem functio nu. 4. & consil. 70. Pro tenui, & cum sequitur de arc. Ant. Natta consil. 452. Casu præsens. Ex quibus manifestum est, ad juris communis rationes relata hæc priorem quaestionem, indubitata habere resolu-